

liquet de angelo qui Moysi apparuit in rubo, Exod. III; item de eo qui legem dedit in monte Sinai, ibidem, cap. XX. Atqui ille, qui hic apparuit, similiter dixit: *Eduxi vos de Ægypto*, etc.; ergo fuit verus angelus.

Prob. III. Quia ita censet Theod., Q. 6 in Jud., item S. P. Aug., Q. 12, ubi dicit: *Ad eos corripiendos angelus missus est.*

Obj. I. Phinees, filius Eleazari summi sacerdotis, congrue hic vocatur *angelus*, quia erat sacerdos; omnes enim sacerdotes vocantur *angeli*, Malach. II, ubi dicitur: *Labia sacerdotis custodient scientiam... quia angelus Domini exercituum est.*

R. neg. assumpt. Quia Scriptura hic loquitur de isto, qui apparuit, tanquam de vero angelo; de sacerdotibus autem loquitur, ut de veris hominibus: nec reperimus eos saepe aut passim vocatos angelos; et tunc quando sic vocantur, ex circumstantiis satis apparet, id dici per metaphoram, seu locutionem figuratam. Loco itaque ex Malach. cit. sacerdotes vocantur *angeli*, tum quia angelicum officium obtinent, et instar legati seu angeli, voluntatem Dei hominibus intimare debent; tum quia angelicam puritatem et sanctitatem imitari tenentur.

Obj. II. Pro eo, quod Aggæi I, in textu latino dicitur: *Aggæus nuntius Domini*, LXX vertunt: *Angelus Domini*. Sic etiam Christus Dominus, quatenus homo, vocatur *angelus testamenti*, Malach. III, 1. Et S. Joan. Baptista appellatur *angelus*, Matth. XI, 10. Imo S. Aug. ipse, Q. 51 in Jud. fatetur, homines posse vocari angelos, dicens: *Eum sane, qui propheta esset, dictum angelum legimus*. Ergo etiamsi reprehensionis minister, hic fuisset propheta aliquis, adhuc congrue vocaretur *angelus* seu *nuntius Domini*.

R. neg. conseq. Quia in citatis textibus rursus nomen *angelus* non simpliciter, sed cum addito nomine proprio attribuitur Aggæo, et cum addita voce *testamenti* dicitur de Christo. Item pronomen *hic* et alia quæ loco cit. Matth. ex prophetia Malach. adduntur, satis indicant, ibidem non de vero angelo, sed de S. Joan. Baptista loqui Christum Dominum. At cum ille, qui hic apparuit, simpliciter vocetur *angelus Domini*, et ad vocem ejus, tanquam ad rem insolitam, omnes filii Israel elevaverint vocem suam et fleverint, ut dicitur *ÿ. 4*; atque quasi ob reverentiam illius, ubi cessasset loqui, immolaverint ibi hostias Domino, ut habetur *ÿ. 5*: rectius de vero angelo hic apparente hæc intelliguntur, imo intelligi debent.

Ad auctoritatem autem S. Aug. dico, eum ibidem tantum insinuare, quod vox *angelus* aliquando, licet rarius, in Scripturis etiam prophetis attribuatur; quod et nos quoque admittimus. At cum in simili casu, ut statim observavimus, vel nomen prophetae, vel quædam aliæ circumstantiæ addantur, ex quibus colligitur, non de vero angelo, sed de homine agi; et cum tales circumstantiæ hic desint: ideo non de propheta, sed de vero angelo intelligenda sunt, quæ hic enarrantur. Et ideo S. Aug., Q. 12, pro nobis resolvit, eum qui hic apparuit, fuisse verum angelum.

Obj. III. Ille qui hic apparuit, dicitur ascendisse de Galgalis. Atqui si fuisset verus angelus, non ascendisset de Galgalis; quandoquidem potius de cælo descendisset; ergo, etc.

R. Neg. min. Nam dicitur ascendisse de Galgalis, eo quod ex illis partibus videretur advenire: unde licet de cælo descenderit, illic tamen se primo spectabilem reddidit. Est autem verisimile, quod hic fuerit idem angelus, qui in iisdem Galgalæ partibus apparuerat Josue (cap. V, 13), puta Michael princeps synagogæ et protector Ecclesiæ Dei.

Obj. IV. Phinees, filium Eleazari, fuisse angelum, sub specie humana conspicuum, videtur erui ex lib. I Paralip., in quo narratur, quod etiam post solutam captivitatem babylonicam adhuc fuerit superstes: siquidem ibidem, cap. IX, postquam Hagiographus enumerasset eos, qui tunc temporis custodiebant ostium templi, subjungit *ÿ. 20*: *Phinees autem, filius Eleazari, erat dux eorum coram Domino*. Unde in hunc locum S. Hieron., lib. de Tradit. Heb. in Paralip. ita scribit: *Hinc monstratur Phinees adhuc eo tempore vivere*. Ergo nihil implicat, quominus per angelum, qui hic Judæis apparuit, intelligatur Phinees.

R. Neg. ant. Nam hæc omnia rursus non sunt nisi rabbinorum figmenta: unde et ex falsa ista annotatione, uti ex multis aliis, quæ in jam cit. lib. de Tradit. Heb. in Paralip. reperiuntur fabulis patet quod iste liber non sit S. Hieron., utpote tanto doctore prorsus indignus. Hinc ad textum ex *ÿ. 20* objectum dico, illum nihil aliud insinuare, nisi quod Eleazarus olim constitutus sit a Deo per Moysen princeps Caathitarum, cui successit Phinees, de quorum descendentibus erant illi, qui isto loco Paralip. recensentur. Unde non ad præsentem et tunc viventes, sed ad majores eorum dicta verba referenda sunt; idque, ut sua cuique familiæ, reedificato templo, jura redderentur. Et hanc expositionem manifeste indicat textus hebraicus, qui sic habet: *Et Phinees, filius Eleazari, dux fuit super eos olim, cum quo Dominus erat*. Ubi manifeste agitur de majoribus eorum, qui cit. loc. lib. I Paralip. ponuntur.

P. 1. undenam locus ille, ad quem filii Israel hic convenerunt, dictus sit *locus stentium*.

R. eum ita dictum esse ab eventu, ut indicatur *ÿ. 5*, ubi dicitur: *Et vocatum est nomen loci illius, locus stentium, sive lacrymarum*: quia nimirum Israelitæ, audita commotione et comminatione Dei per angelum, elevaverunt vocem suam et fleverunt, ut dicitur *ÿ. 4*.

P. 2. an locus stentium fuerit in Silo.

R. cum *ÿ. 5* addatur: *Immolaveruntque ibi hostias*: colligit Tirinus, locum illum fuisse vicinum Silo: nam sacrificare non licebat, nisi in eo loco, ubi erat tabernaculum. Attamen hæc collectio non videtur firma: nam quamvis lege prohibitum esset sacrificare extra tabernaculum, poterat tamen angelus ipsis specialiter inspirare, ut in illo loco stentium sacrificarent.

Locum stentium non fuisse in Silo, sed in tribu Juda juxta Jerusalem, in parte occidentali, contendit A Lapide testimonio Josephi, lib. VII Antiq., cap. 2.

CAPUT III.

Dum Israelitæ sociantur gentilibus, quibus contra Dei mandatum pepercant, sceleribus eorum contaminantur, atque per eos dire affliguntur: sed penitentes invocant Dominum, qui eos liberat, 1. a Chusan rege Mesopotamiæ, per Othonielem; 2. ab Eglon rege Moab, per Aod; 3. a Philistinis, per Samgar.

QUÆSTIO PRIMA. — QUOMODO DEUS LIBERAVIT ISRAELITAS PER OTHONIELEM ET AOD.

Vers. 5: *Itaque filii Israel habitaverunt in medio Chananei... ÿ. 6: Et duxerunt uxores filias eorum: siquidem per uxores alienigenas febat, ut ipsi ad alienos seducerentur deos, non ut illæ per maritos verò acquirerentur Deo*, inquit S. P. Aug. lib. I de adultèrinis Conjugiis, cap. 18.

ÿ. 8: Iratusque contra Israel Dominus, tradidit eos in manus Chusan Rasathaim regis Mesopotamiæ. Nomen Chusan dicitur hebraice idem significare quod Æthiops: Chusi enim sunt Æthiopes, ita dicitur a Chus filio Cham, Gen. X: *Rasathaim* vero, juxta interpretationem Pagnini, idem sonat quod *duarum impietatum*: quod proprie conveniebat huic tyranno, quia Israelitas iniqua tyrannide opprimebat, et quia eos ad suos deos colendos alliciebat.

Servieruntque ei octo annis. Hæc est prima idololatriæ Judæorum, in terra Chanaan, castigatio.

ÿ. 9: Et clamaverunt ad Dominum (vexati et nimis afflicti) *qui suscitavit eis salvatorem, et liberavit eos, Othoniel videlicet filium Cenex*: qui vicit et oppressit Chusan, ut dicitur *ÿ. 10*; et ibidem additur: *Et judicavit Israel*. Primo per vindicationem a regis Mesopotamiæ tyrannide, et postea per bonam sanctamque gubernationem.

ÿ. 12: Addiderunt autem filii Israel facere malum in conspectu Domini, mortuo scilicet Othoniele, per quem libertas recuperata erat populo, restaurata religio, etc.

ÿ. 14: Servieruntque filii Israel Eglon regi Moab decem et octo annis. Regi Mesopotamiæ servierant 8 annis, jam vero crescentibus peccatis, diuturniori servitute affliguntur.

ÿ. 15: Et postea clamaverunt ad Dominum, qui suscitavit eis salvatorem nomine Aod... qui utraque manu pro dextera utebatur. LXX appellant eum *virum ambi-dexterum*. Id est, qui ita bellicosus et exercitatus erat in armis, ut læva non secus ac dextera posset configere, uti explicat Serarius. Et tales sunt optimi bellatores: quia tanto minus potest prævideri ictus eorum, quanto magis est insuetus, inquit Lyranus.

Querit S. P. Aug. Q. 20 in Jud. utrum Aod fuerit mentitus, quando dixit *ÿ. 19: Verbum secretum habeo ad te, o rex*. Verba S. D. sunt: *Cum enim solus soli insidiaretur, ut eum percuteret, hoc ei ait: Verbum*

occultum mihi est ad te, o rex, ut ille a se omnes, qui cum illo fuerant, removeret. Quod cum factum esset, iterum dixit *ÿ. 20: Verbum Dei habeo ad te*. id agebat Aod, ut Eglon rex Moab consurgeret, accederetque ad reverentiam verbo Dei exhibendam, ut sic ictui redderetur opportunior.

Abulensis Q. 20 dicit, quod mentitus sit Aod ad occultandam intentionem suam, et ut posset illam exequi: nam alioquin non potuisset accedere secreta ad regem. Nec oportet excusare Aod a mendacio: quia alii viri, majores eo et sanctiores, non excusantur. Leviter tamen eum peccasse censet, eo quod officiosum duntaxat mendacium fuerit.

Attamen S. P. Aug. cit. Q. 20 eum excusari posse ait, tanquam nullo modo mentitum, quia nomine *verbi* factum seu res aliqua, juxta modum loquendi S. Scripturæ, significari etiam solet: erat vero res, quam Aod moliebatur, arcana et divina. Verba S. Aug. sunt: *Sed potest non esse mendacium, quandoquidem VERBI nomine solet etiam FACTUM appellare Scriptura; et revera ita erat: quod autem dixit VERBUM DEI, intelligendum est hoc illi Deum, ut faceret, præcepisse, qui eum populo suo excitaverat salvatorem*. Sensus itaque hujus locutionis: *Verbum Dei habeo ad te*, erat iste: *Mandat mihi Deus, ut te Israelis oppressorem occidam*.

Dices: Fallere aliquem dicto vel facto, est illicitum juxta D. Thom. 2, 2, q. 40, a. 3. Atqui Aod hic voluit fallere regem Moab; ergo, etc.

R. disting. maj. Fallere est illicitum, si sit conjunctum, vel fiat cum mendacio; concedo: si tantum fiat ad occultandam veritatem aut intentionem suam, sicut hic factum est ab Aod; neg. maj. Unde et S. Thom. postquam loco cit. dixisset, quod uno modo quis possit falli ex facto vel dicto alterius, dum ei dicitur falsum, aut non servatur promissum, addit hoc semper esse illicitum, et tunc subjungit: *Alio modo aliquis potest falli ex dicto, vel facto nostro, quia occultatio pertinet ad rationem insidiarum, quibus licitum est uti in bellis justis*.

P. an ex facto Aod probetur licitum esse homini privato occidere tyrannum.

Postquam Aod dixisset: *Verbum Dei habeo ad te*, statim rex Moab surrexit de throno suo, ut dicitur *ÿ. 20*, et tunc subjicitur *ÿ. 21: Extenditque Aod sinistram manum, et tulit sicam de dextero femore suo, infixitque eam in ventre ejus*. Frustra aliqui ex hoc facto probare nituntur, homini privato licitum esse occidere tyrannum suæ patriæ: nam constat, 1. Aod non fuisse privatum hominem, sed principem populi israelitici, et a Deo omnium Domino ad id munus evectum; ut insinuant verba *ÿ. 15* supra citata; 2. jussus est ab eodem Deo occidere publicum hostem, et violentum regni invasorem; ut ex verbis *ÿ. 20* deducit S. P. Aug. pariter supra citatus. Insuper articulus ille Joan. Hus: *Quilibet tyrannus licite potest à quocumque subdito interfici, damnatus est in concilio Constantiensi, et jam damnatur ab omnibus orthodoxis*.

QUÆSTIO II. — AN ANNI INTERREGNORUM, OPPRESSIONIS, SERVITUTIS, ET QUIETIS, SEORSIM AB ANNIS JUDICUM SINT NUMERANDI, AN VERO EIS INCLUDENDI.

Vers. 50 : *Humiliatusque est Moab, in die illo sub manu Israel, et quievit terra octoginta annis, scilicet a præliis.*

Cum post mortem Josue et seniorum, Israelitæ ad idola deflecterent, tradebat eos Deus in servitutum regibus vicinis : dum vero poenitentiam agebant, liberabat eos.

Itaque, ut dicitur hoc cap., γ . 8, servierunt Chusan regi Mesopotamiæ annis 8
 γ . 14, Eglon regi Moab annis 18
 Cap. IV, 5, Jabin regi Chanaan annis 20
 Cap. VI, 1, Madianitis annis 7
 Cap. X, 18, Philistæis et Ammonitis annis 18
 Cap. XIII, 1, rursus Philistæis annis 40

Qui simul additi faciunt annos 111
 Quæstio autem valde intricata et difficilis hic movetur inter chronologos, et S. Scripturæ interpretes, an videlicet jam memorati anni servitutum (idem est de annis anarchiarum seu interregnorum, etc.) separatim numerandi sint ab annis judicium, an vero eis includendi. Ad quam

R. et dico : Jam memorati anni non sunt separatim computandi ab annis, qui attribuuntur judicibus, sed eis includendi.

Prob. I, ex III Reg. VI, ubi dicitur, ab egressu filiorum Israel de Ægypto usque ad jacta fundamenta templi Salomonis fluxisse annos 480, illumque annum 480, quo ædificari cœpit templum, esse annum quartum regni Salomonis. *Factum est ergo, inquit sacer textus, quadringentesimo et octogesimo anno egressionis filiorum Israel de terra Ægypti, in anno quarto, mense Zio (ipse est mensis secundus) regni Salomonis super Israel, ædificari cœpit domus Domino.* Atqui tot anni præcise inveniuntur, si anni servitutis, etc., includantur annis judicium : et nequaquam tot, sed multo plures inveniuntur, si numerentur separatim ; ergo, etc.

Prob. min. pro prima parte, ex additione omnium annorum, tam eorum qui judicibus attribuuntur, quam cæterorum, qui ab egressu Israel de Ægypto usque ad jacta fundamenta templi in Scriptura reperiuntur.

Exod. XVI, 35, Israelitæ peregrinati sunt in deserto annis 40
 Josue, ut probatum est in cap. XIV lib. Josue, judicavit populum usque ad pacem datam annis 6
 Post hanc ipsi tribuendi sunt anni 11
 Hoc libro, cap. III, 11, Othoniel judicavit annis 40
 γ . 50, Aod annis 80
 γ . 41, Samgar brevissimo tempore quod non computatur.
 Cap. V, 52, Barac cum Debhora annis 40
 Cap. VIII, 28, Gedeon annis 40
 Cap. IX, 22, Abimelech annis 3

Cap. X, 2, Thola annis 25
 Ibidem, γ . 3, Jair annis 22
 Cap. XII, 7, Jephthe annis 6
 Ibidem, γ . 9, Abesan annis 7
 Ibidem, γ . 11, Abialon annis 40
 Ibidem, γ . 14, Abdon annis 8
 Cap. XV, 20, Samson annis 20
 I Reg. IV, 18, Heli annis 40
 Act. XIII, 21, Samueli et Sauli tribuuntur anni 40
 III Reg. II, 11, David regnavit annis 40
 III Reg. VI, 1, jacta sunt fundamenta templi anno regni Salomonis 4

Addere hos omnes, et invenies annos 480

Cum itaque ex annis jam enumeratis exurgat supra dicta summa 480 annorum : certum videtur, quod 411 anni servitutum debeant includi annis, qui judicibus attribuuntur : nam si eisdem non includantur, sed separatim numerentur, non 480, sed 591 annos ab Exodo usque ad jacta fundamenta templi elapsos esse inveniemus. Et adhuc multo plures elapsi reperientur, si separatim computentur anni anarchiarum seu interregnorum, etc. Et sic probata est min. etiam pro secunda parte.

Dices 1, cum Melchioro Cano lib. II de Locis theolog., cap. 5, in textum III Reg. VI ex librorum negligentia videtur irrepisse mendum : ergo inde non evincitur, annos servitutum includendos esse annis judicium.

R. neg. assumpt. Nam *quadringentesimo et octogesimo anno* constanter legunt hebraica, LXX, chaldaica et latina, complutensia æque ac regia Biblia ; nec hucusque ullus allatus est, aut afferri potuit codex, qui plures annos ponit, et licet aliqui græci codices ponant annos duntaxat 440, tamen hi a parte rei a nostra sententia non dissentiant, qui egressum de Ægypto completum considerant, eo modo quo consideratur psal. CXIII, ubi dicitur quod in exita de Ægypto Jordanis conversus sit retrorsum. Ac proinde responsio Melchioris Cani gratis excogitata est.

Unde et P. Graveson, tametsi in canone chronologico, quarta mundi ætate ab egressu de Ægypto usque ad jacta fundamenta templi computet annos 606, tamen referens et citans auctores illos qui contendunt textum III Reg. VI esse mendosum, eorum conjecturam rejicit, eo quod, ut ibidem subdit, nemini fas sit quidpiam Scripturæ sacræ addere, aut demere. Unde ipse aliter ad jam memoratum textum respondendum esse existimat. Itaque

Dices 2, cum mox cit. Graveson : Ideo cap. VI lib. III Reg. numerantur tantum ab egressu Israelitarum ex Ægypto usque ad structuram templi anni 480, quia in illo capite solum recensentur anni præfecturæ judicium, non computatis annis anarchiarum, et servitutum Israelitarum.

Declaratur in simili : Quamvis in libris Regum a Davide usque ad transmigrationem Babylonis inveniuntur septemdecim generationes, tamen S. Matth. cap. I,

17, dicit esse quatuordecim : quia nempe tres reges, scilicet Ochosiam, Joam et Amasiam, in genealogia Christi omisit : ergo pariter potuit lib. III Reg. ponere 480 annos, quia nempe omisit annos servitutum, etc.

R. neg. assumpt. Quia cum Scriptura loco cit. totum tempus comprehendat quod ab egressu de Ægypto usque ad structuram templi effluxit : etiam in suo computo inclusit annos servitutum et anarchiarum : ac proinde sine ullo fundamento dicitur, et non nisi gratis fingitur, quod in jam memorato computo omissi sint anni servitutum et anarchiarum : nam si hi omissi essent in loco cit. Scripturæ, esset error et mendacium, quod nullatenus admitti potest. Unde quemdammodum ex IV Reg., XXV, 27, ubi dicitur quod *in anno trigesimo septimo transmigrationis Joachin*, Evilmerodach sublevaverit caput Joachin de carcere, bene concluditur quod a tempore quo Joachin ductus fuerat in Babylonem, usque ad ejus liberationem a carcere, elapsi sint 36 anni completi, et ipse anno 37 e carcere liberatus sit : ita similiter ex cap. VI, lib. III Reg. clare deducitur, quod ab egressu de Ægypto usque ad structuram templi effluxerint 479 anni completi, et ipsum templum ædificari cœperit anno 480.

Ad prob. autem disparitas occurrit in oculos. Nam cum S. Matthæus in genealogia Christi distincte exprimat et enumeret ejus progenitores, et tres reges ob certas rationes omittat, satis clare patet quod dum a Davide usque ad transmigrationem Babylonis dicit esse generationes quatuordecim, tantum agat de iis quas ipse enumeraverat. At cum liber III Reg. distincte non exprimat nec enumeret 40 annos peregrinationis in deserto, deinde annos præfecturæ Josue, et postea 40 Othonielis, etc., sed generatim et sine ulla prorsus restrictione dicat, anno 480 post egressum de Ægypto cœpisse ædificari templum, omnino evidens est quod ibidem Scriptura non solum recenseat annos præfecturæ judicium, ut contendit P. Graveson, sed totum tempus istud comprehendat ; ac consequenter omnes annos enumeret qui usque ad jacta fundamenta templi effluxerunt : præsertim cum textus ille sit præcipua clavis totius chronologiæ ab Exodo usque ad Salomonem. Etenim numerus ille cap. VI, lib. III Reg. ad hoc unice videtur expressus, ut habeatur epocha certa ab Exodo usque ad structuram templi ; adeoque necesse est, ut omnes prorsus annos intermedios comprehendat. Adeoque si in numero 480 annorum non includantur anni anarchiarum seu interregnorum, nulla statui poterit epocha certa. Nam cum Scriptura nullibi exprimat quot annis quælibet anarchia duraverit : nemo nisi conjecturando, divinando, et quædam temporum intervalla ex proprio cerebro fingendo, definire poterit, quot anni ab egressu de Ægypto usque ad jacta fundamenta templi effluxerint.

Prob. 2. Quia infra cap. IV, 3, cum Scriptura dixisset, Jabin regem Chanaan vehementer Judæos oppressisse per 20 annos, mox γ . 4 subdit : *Debhora prophetis judicabat populum in illo tempore, scilicet* S. S. XXVI.

20 annorum oppressionis ; ergo illi 20 anni includuntur in 40 annis, quibus Debhora cum Barach egit judicem. Idem patet in Samsone, qui infra cap. XV, 20, dicitur judicasse Israel *viginti annis in diebus Philistinum*, id est sub servitute Philistinorum, quæ cap. XIII, 1, dicitur durasse 40 annis. Unde et cap. XV, 11, Judæi dixerunt ad Samson : *Nescis quod Philistinum imperent nobis ?* Ergo eodem tempore quo Hebræi a Deo traditi sunt Philistinis (verisimiliter posterioribus annis illius servitutis, cum cap. XIII, 5, dicatur : *Ipse incipiet liberare Israel de manu Philistinorum*) Samson judicavit Israel : maxime cum angelus tempore hujus servitutis matri ejus prædixerit, quod in eum finem esset nasciturus, adeoque inchoata hæc servitute, necdum erat natus. Igitur 20 anni, quibus judicavit Samson, non sunt distincti ab annis posterioribus quibus servierunt Philistæis.

Prob. III. Quia I Paralip. III, 11 et seq., ab ingressu in terram Chanaan usque ad Davidem tantum numerantur quatuor generationes, scilicet *Salma*, sive *Salmon*, *Booz*, *Obed* et *Isai*, pater Davidis, nullusque proavorum videtur omissus, ut Q. 1 in cap. I lib. Ruth monstrabitur. Atqui si anni anarchiarum et servitutum separatim numerentur, et plures anni ponantur, quam nos posuimus, non poterunt salvari per quatuor generationes ; ergo, etc.

Prob. min. Quia etiam in nostra sententia isto tempore reperiuntur anni 566. Nam detractis 40 annis, quibus fuerunt in solitudine, et 70 annis vitæ Davidis, et 4 annis regni Salomonis, restant ex integro numero 480 annorum præcise anni 566. Atqui hunc quoque annorum numerum per quatuor generationes salvari difficile est ; ergo multo difficilius chronologia salvatur in sententiis aliorum, qui annos anarchiarum et servitutum separatim computant.

Prob. IV. Testimoniis veterum, 1. Eusebii in Chronico, de prima oppressionis loquentis : *Post mortem Josue, inquit, subjectos tenuerunt Hebræos alienigenæ annis octo ; qui junguntur Gothonielis temporibus, secundum Judæorum traditiones ;* 2. S. P. Aug. lib. XVIII de Civ. Dei, cap. 22, ubi ita scribit : *Tempore quo Roma condita est, populus Israel habebat in terra promissionis annos septingentos decem et octo, ex quibus viginti septem pertinent ad Jesum Nave, deinde ad tempus judicium trecenti viginti novem.* Jam autem si 27 annis quos præfecturæ Josue tribuit, et 529, quos tribuit tempori judicium, jungantur 40 anni peregrinationis in deserto, 40 Samuelis et Saülis, item 40 regni Davidis, et 4 anni Salomonis, conficiunt summam 480 annorum. Ergo clarum est quod juxta mentem S. P. Aug. ab egressu de Ægypto usque ad ædificationem templi fluxerint anni 480 : et consequenter anni anarchiarum et servitutum includi debent annis judicium.

SOLVUNTUR ARGUMENTA. — Obj. I. In nostro computo assignantur Josue præcise 17 anni : atqui non debent ei tot assignari ; nam nulla omnino fit mentio in Scriptura quot annis ducatum gesserit. Item id manifeste repugnat S. P. Aug., qui, ut mox vidimus, (*Vingt-trois.*)

cum Eusebio ei tribuit annos 27 : ergo hic computus noster deficit.

R. neg. min. Nam quamvis Scriptura id non exprimat, tamen colligendum relinquit, dum tam accurate exprimit annos iudicium, et tam aperte dicit templi ædificationem inceptam anno 480 ab egressu de Ægypto : nam si omnes alios annos simul conputes, exceptis annis Josue, invenies 465, quibus si addas 17 pro Josue, habebis justum numerum, scilicet annos 480. Cum itaque series 480 annorum constare non possit, deducta chronologia per annos iudicium, nisi Josue assignentur anni 17, asserendum est Josue 17 præcise annis reipublicam Hebræorum moderatum fuisse, nempe 6 usque ad pacem datam, et post hanc adhuc 11.

Quod autem S. P. Aug. cum Eusebio Josue tribuat 27 annos, nostræ resolutioni nequaquam obest : nam ipse usus fuit codice LXX Interpr., in quo deerat Ahialon, qui infra, cap. XII, iudicavit Israellem 10 annis ; siquidem quod hic cum decem annis suis, in quibusdam codicibus LXX non habeatur, testatur vener. Beda, lib. de sex mundi ætatibus, anno mundi 2790. Cum itaque S. doctor videret tempus iudicium (quod a morte Josue usque ad mortem Heli, juxta textum hebræum et Vulgatam nostram, in quibus habetur Ahialon, complectitur annos 359) secundum codicem quo ipse utebatur, complecti annos duntaxat 329 : æque necessario debuit Josue tribuere 27 annos, ac nos modo ei tribuimus 17 : quandoquidem summa annorum 480 alias constare non posset.

Obj. II. Scriptura clarissime distinguit tempus illud quo cum suscitaret Dominus iudices, flectebatur misericordia, supra, cap. II, 18, ab eo quo post mortem iudicium iterum revertebatur populus ad peccata, et pejora faciebat, ut dicitur ibidem, ̄. 19. Ergo distinguendi sunt anni pacis et belli, anni servitutis et libertatis, anni vindictæ et misericordiæ, anni idolatriæ et penitentiae, etc.

R. annos illos revera esse distinguendos ; alia enim fuerunt tempora pacis, alia belli, etc. Sed inde non sequitur plures hic annos esse computandos, quam ante computavimus : nam dicimus quod tempus anarchiæ, idolatriæ et servitutis post Josue, v. g., ac libertatis datae per Othonielem non comprehendat nisi 40 annos ; adeo ut sensus ̄. 11 et 50 hujus cap. sit : A morte Josue usque ad pacem datam et confirmatam per Othonielem fluxerunt anni 40 ; a pace data per Othonielem, rursusque rupta, usque ad pacem datam et confirmatam per Aod fluxerunt anni 80 ; et sic de cæteris usque ad Gedeon inclusive.

Dico usque ad Gedeon inclusive : nam post Gedeonem per annos præfecturæ sequentium iudicium, tempora describit hujus libri auctor, idque ideo, quia post mortem Gedeonis nulla pax confirmata legitur usque ad Samsonem, qui robor Philistinorum compressit, dum principes eorum ruina domus secum oppressit.

Inst. I. Infra cap. VIII, 28, dicitur : *Quievit terra per quadraginta annos, quibus Gedeon præfuit* (Idem

dicitur hic de Othoniele et Aod, et cap. V, 32, de Debbora et Barac). Ergo anni qui tribuuntur iudicibus, fuerunt soli anni pacis, et consequenter in computo nostro omittuntur anni belli, servitutis, etc.

R. neg. conseq. Quia Hebræos quandoque numerum cardinalem pro ordinali ponere, observant eruditi, hocque hic esse factum existimant, quia hebraice legitur *schana*, id est anno, non *schanim*, id est annis. Unde et loco cit., ubi nos legimus : *Quievit terra per quadraginta annos, quibus Gedeon præfuit*, Hebræi legunt : *Quievit terra quadragesimo anno in diebus Gedeonis*, scilicet usque ad quadragesimum annum ab ultima pace præcedente, adeo ut sensus sit. Post quietem datam per Debboram et Barac, iterumque interruptam usque ad annum quadragesimum, in diebus Gedeonis terra rursus quiescere coepit. Et sic quoque explicanda sânt quæ dicuntur de Debbora, etc.

Et revera, quod ita explicari et intelligi debeant, satis liquet ex eis quæ supra, prob. II, dicta sunt : siquidem ibidem monstratum est quod 40 anni, quibus terra dicitur quievisse tempore Debboræ et Barac, etiam in se comprehendant tempus quo Israelitæ a Chananæis oppressi fuerunt.

Inst. II. Ex jam dictis sequitur quod 40 anni, qui tribuuntur Othonieli, in se comprehendant totum illud tempus, quo post mortem Josue vixerunt seniores, quorum cunctis diebus Israelitæ Deo servierunt, ut dicitur cap. II, 7. Item illud, quo postea ad idola deflexerunt, in servitutum redacti sunt, et tandem per Othonielem a Deo liberati, tranquilla pace potiti sunt. Atqui tamen id non videtur posse admitti ; ergo, etc.

Prob. min. Quia loco jam cit. dicitur quod seniores illi longo tempore vixerint post mortem Josue. Longum autem illud tempus 30 fuisse annorum, docet Julius Africanus, referente Georgio Syncello in chronographia. Subdit autem ibidem ulterius Scriptura : *Omnis illa generatio congregata est ad patres suos ; et surrexerunt alii qui non noverant Dominum, et opera quæ fecerat cum Israel*. Jam autem totum illud tempus, quo omnes illi, qui noverant opera et prodigia Dei, post mortem Josue superfluerunt, dicit S. Maximus, universim fuisse 50 annorum. Deinde post mortem istius generationis populus declinavit ad idolatriam, secuta est servitus 8 annorum, et tum denum pax. Ergo admitti nequit quod a morte Josue usque ad quietem datam per Othonielem, tantum effluxerint 40 anni. Ita ratiocinatur auctor libri cui titulus est : *Antiquitas temporum restituta*.

R. neg. min. Nam licet verum sit quod seniores isti longo tempore vixerint post Josue, item quod post mortem ipsorum secuta sit idolatria, tamen cum tempus horum seniorum et idolatriæ Scriptura non designat, nec nos illud definire debemus ; sed (salva auctoritate Julii Africani et S. Maximi) illo quadraginta annorum spatio, quo dicitur terra quievisse ante mortem Othonielis, includendum esse existimamus : siquidem ad id asserendum nos cogit textus lib. III Reg. supra prob. I cit.

Itaque ad prob. dico quod omnia quæ objecta sunt ex cap. II, etiam optime verificentur in nostra sententia : nam seniores illi, qui noverant opera et prodigia Dei, certo non fuerunt ex illis qui viderant duntaxat prodigia Dei in divisione et transitu Jordanis ; siquidem hi nec anno 50, imo nequidem 50 post mortem Josue, juxta communem naturæ cursum istius temporis, mortui esse poterant : sed fuerunt ex istis qui in egressu de Ægypto viderant prodigia Dei in Ægypto, in divisione ac transitu maris Rubri, etc., et anno secundo egressionis (Num. I) nondum attingerant annum 20 ætatis.

Supponamus itaque quod isti, id est ista generatio, post mortem Josue vixerint annis 27, imprimis verificatur quod *longo tempore* vixerint post mortem Josue ; nam Scriptura etiam undecim, imo et pauciores annos *longum tempus* vocat, ut liquet ex lib. Josue, cap. XXIII, 1, et ex cap. XXII, 3, ubi dicit Josue ad Rubenitas, quod fratres suos non reliquerint *longo tempore* : et tamen hoc tempus quo Rubenitæ fratres suos in bellis contra Chananæos non deseruerant, fuit tantum sex annorum completorum, ut constat ex dictis in cap. XIV Josue. Deinde etiam verificatur quod omnis illa generatio congregata fuerit ad patres suos, antequam populus declinaret ad idolatriam : nam cum isti seniores, sive ista generatio, anno 27 post mortem Josue attingissent annum circiter 102, facile tunc mortui esse potuerunt, præsertim cum vitam suam in continuis laboribus, v. g., longo itinere per desertum, et postea in bellis contra Chananæos transigissent. Jam autem, quandoquidem in nostro supposito a morte istorum seniorum usque ad pacem datam per Othonielem adhuc elapsi sint 15 anni, pariter clarum est quod sufficiens tempus supersit pro idolatria et servitute 8 annorum.

Obj. III. Infra, cap. X, 8, dicitur quod servitus sub Ammonitis duraverit 18 annis, et postea, cap. XII, 7, refertur quod Jephthe tantum iudicaverit annis 6. Atqui impossibile est ut 18 anni servitutis includantur in 6 annis iudicaturæ Jephthe ; ergo, etc.

R. Cum, ut supra dictum est, post Gedeonem nulla pax confirmata sit usque ad Samsonem, clarum est quod alii iudices populum a servitute liberaverint, aliqui non. Dicendum igitur quod anni servitutem non tantum includantur in annis iudicium sequentium, sed etiam præcedentium servitutum. Itaque cum servitutis ammonitiæ anno decimo octavo seu ultimo, Jephthe principatum nondum adeptus, Israelitis respicientibus, et idola alienigenarum de finibus suis projicientibus, miseris eorum Deus fuisse legatur, cap. X, 16 : dicendum est quod servitus sub Ammonitis incepta tempore Jair, qui iudicavit 22 annis ; adeoque illa servitus incepta anno quarto iudicaturæ ejus. Similiter servitus 40 annorum sub Philistinis, infra, cap. XIII, 1, incepta facile 20 annis ante iudicaturam Samsonis (nam, ut supra dictum est, ipse natus fuit tempore istius servitutis), adeoque incepta sub Abesan, et duravit sub Ahialon et Abdon, verisimiliter usque ad mortem Samsonis.

Inst. Cap. X, mors Jairis refertur ante servitutum ammoniticam ; ergo hæc servitus tantum incepta post iudicaturam Jair, ac consequenter dici nequit quod incepta anno quarto iudicaturæ ejus.

R. neg. conseq. Quia mortem Jairis ibidem per prolepsim seu anticipationem (more sibi frequenter usitato) refert Scriptura, ut deinceps, ordine non interrupto, de causis, duratione, et fine servitutis ammonitiæ, a Jephthe demum sublata, latius agat. Unde quemadmodum ex cap. XIII, 1, non sequitur quod servitus 40 annorum sub Philistiis, quoad ultimos 20 annos, contingerit ante iudicaturam Samsonis (ut supra ex prob. II omnino manifestum est), tametsi ante ejus iudicaturam narretur ; ita pariter ex cap. X non sequitur quod mortuus sit Jair ante servitutum ammoniticam, quamvis mors ejus ante illam servitutum referatur.

Obj. IV. Infra, cap. XI, 26, Jephthe cum Ammonitis congressurus, ipsis objecit et dixit, Israelitas possedissem terram Galaad jam a 500 annis. Jam autem certum est quod Israelitæ tantum incepterint possidere istam terram anno 40 egressus de Ægypto : atqui si anni servitutis includantur annis iudicium, non inveniuntur 500 ab anno 40 egressus de Ægypto usque ad Jephthe, sed tantum 265 ; ergo, etc.

R. neg. conseq. Nam si anni servitutis addantur, scilicet sub rege Mesopotamiæ 8, sub rege Moab 18, sub Jabin 20, sub Madianitis 7, sub Ammonitis 18, non tantum inveniuntur 500, sed 356. Ac proinde argumentum inde deductum, simpliciter consideratum, non magis pugnat contra nostram quam contra Melchioris Cani sententiam. Si vero accuratius ille locus perpendatur, magis favet nobis quam Cano : siquidem cum homines, dum temporis præscriptione in possessionibus suis contra adversarios tuendis utuntur, eam potius amplificare quam diminuere soleant : dicendum est quod Jephthe, per exaggerationem utatur numero perfecto pro imperfecto, ut ostendat possessionem suam esse longissimi temporis. Annos itaque 300 dixit Jephthe, perfecto et rotundo numero usus, quod magis ad 500 quam ad 200 numerus annorum accederet.

Dici etiam potest, et forte melius, quod Jephthe non respiciat tempus quo Israelitæ actu possederunt Galaad, sed quo Deus eos misit ad illam terram possidendam, quod contigit anno secundo ab egressione de Ægypto, immediate ante missionem exploratorum : et sic si addantur illis annis 265 alii anni 38, quibus per desertum peregrinati sunt, erunt anni 303, quibus Jephthe dicit illos terram Galaad possedissem. Contra hanc solutionem

Inst. Deus filiis Israel prohibuerat, ne invaderent terram filiorum Ammon, nam Deut., II, 19, refertur dixisse ad Moysen : *Et accedens in viciniam filiorum Ammon, cave ne pugnes contra eos ; nec movearis ad prælium : non enim dabo tibi de terra filiorum Ammon, quia filiis Loth dedi eam in possessionem* ; atqui Galaad erat terra filiorum Ammon, ut colligitur ex Josue XIII, 25 : ergo dici nequit quod Deus anno secundo egressionis